

gado del Pontífice, y puso por Obispo de Antioquía á Paulino; mas no por eso cesaron las diferencias, antes se aumentaron, y en este desorden se suscitó una controversia sobre esta palabra *hypostasis*, sin entenderse unos á otros; porque Melecio entendia por esta palabra la Persona; y así decia que en Dios habia tres Hypostasis. Los que seguian á Paulino entendian por Hypostasis la substancia; por lo que afirmaban que en Dios solo hay una Hypostasis; y no obstante que la cuestión era propiamente de voces, no dexaban de dar en rostro los Melecianos á los Paulinianos con la heregía de Sabelio, y estos á aquellos con la de Arrio, siendo todos Católicos. Estas son las principales noticias que se deben tener presentes en quanto á la heregía de Arrio que subsistió con la fuerza de los Príncipes, cuya proteccion facilmente lograban los Hereges; porque los suponian poco instruidos en los fundamentos de la Religion, y menos diestros en el manejo de las armas con que se defiende. Lo mas admirable de la Divina Providencia, es ver que quando los Arrianos se dilatáron mas, estaban mas cerca de su ruina. Desde el Norte, á donde habian llevado el Arrianismo los Orientales con los Reyes que dividieron entre sí el Imperio, empezó á dominar, teniendo sujetos á los Católicos en toda la Europa, y grande parte de la Africa. Mas entonces fué quando reconociendo los Príncipes la verdad, se vió fugitivo el Arrianismo, y á poco tiempo casi extinguido, confesando todos la divinidad de Jesuchristo, y resonando por todas partes aquellos deseos de la Iglesia con las mismas palabras: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.*

DE LOS PADRES

CONTENIDOS EN ESTE TOMO II.

COMO SE HALLAN

EN LA LENGUA LATINA.

SENTENCIAS ESCOGIDAS.

DE SAN ATANASIO

Correspondientes al Capítulo II. Artículo IV.

I. **V**ilitatem inopiamque nostram suscepit, ut nobis opulentiam suam largiretur. Illius enim passio, nostra est impassibilitas: illius mors, nostra immortalitas: illius fletus, nostra lætitia: ejusque sepultura, nostra resurrectio est: illius baptisma, nostra sanctificatio. *Pro iis enim, inquit, me sanctifico, ut & ipsi sanctificati sint in veritate. (De humana natura suscepta.)*

(II.) Id scire oportet, & nequaquam ambigere, te priusquam ordinareris tibi vixisse: ordinatum autem illis vivere, quibus ordinatus es. *(Ad Dracont. epist.)*

III. Præcipua observatione codex Psalmorum dignus est. Singuli quidem libri suam, & propriam suppeditant historiam. Psalmorum autem volumen veluti paradisus, in quo sunt omnia genera lignorum plantata. præter-

quam quod auditor ista dicit (quæ in universa Scriptura continentur) etiam motus sui animi animadvertere potest; ac deinde secundum ea quæ patitur, formam verborum decerpere; & quid dicendo agendove morbum illum medicetur, invenit. (*Ad Marcell. epist.*)

IV. Spiritus Sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi ratione divini Principatus adsunt; imbuens eam in gratia, ut in omnibus gratiosa esset; atque idcirco *gratia plena* cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratiis abundaret, & *virtute Altissimi obumbraretur*: quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido, & post conceptum etiam retinuisse. Neque id enim temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodum & nunc in præsentia, & in æternum usque habet hæc Virgo sibi *obumbrantem virtutem Altissimi*, & superventum Spiritus Sancti, ut sit *gratia plena*. (*De sanctiss. Deipara.*)

V. Jejunium morbos sanat, distillationes exsiccat, demones fugat, malasque cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius, & ad thronum Dei homines sistit. . . . Jejunium Angelorum cibus est, & qui eo utitur, ordinis Angelici censendus est. (*Ibid.*)

VI. Si subjicit tibi in animum inimicus ingentia devotionis exercitia, ut corpus tuum inbecille fiat, & inutile: tu contra fac, ut tuum jejunium modum habeat. (*Ibid.*)

VII. Qui habet requiem suam in hoc mundo, ne speret æternam requiem se posse consequi. Regnum enim cælorum non eorum est, qui hic otiantur, sed qui in multa tribulatione vitam transigunt. Non enim id gratis accipiunt, sed cum ingenti labore, & maximis sudoribus illud sunt adepti, quotquot eo digni sunt habiti. Non illis

curæ est quantuncunque hic delassentur, si quidem illuc ingressi obliviscuntur laborum & dolorum, quos perpessi sunt in mundo isto vano, præ multa illa, & inenarrabili requie, quæ data est ipsis. (*Ibid.*)

VIII. Quis sana mente præditus non malit in paucorum esse numero per angustam viam ad salutem ingredientium, quam associari multis per latam ad interitum currentibus. (*Disceptat. adv. eos, qui in veritate, &c.*)

IX. Mulier illa, quæ Christi fimbriam tetigit, non in fimbria, sed in ejus, qui toga vestitus erat, invisibili potentia, spem suam comperta est colocasse. . . . Sic qui ad sanctum altare accedunt, idque amplectuntur, & cum metu ac lætitia salutant, non in lapidibus, & lignis, sed in gratia nobis per lignum, & lapides repræsentata hærent. (*Adv. eos, qui human. in Christo, &c.*)

X. Quemadmodum ferens uterum mulier, ex succussatione pueri vere cognoscit, quod fructum conciperit, ita etiam anima ejus, qui vere Christianus est, non quia parentes ajunt, sed ex re ipsa, & subsultationibus cordis sui præcipue diebus festis, & illustrationum tempore, & sumpcionis sacri Corporis, & Sanguinis Christi, discit ex gaudio intimo Spiritum Sanctum se accepisse, cum baptizatus est. (*Ad Antioch. Principem.*)


XI. Quod vobis superest, detur ad defectum pauperum supplendum. Idest quæcumque recondimus de his præter victum nostrum, & potum, & amictum, de eis iudicium subibimus in die iudicii, tale iudicium, quale homicidæ ferunt. Quod cum multi multos hic ex morte pecuniis suis liberare possent, non servaverunt sed despexerunt eos. (*Quæst. 69.*)

XII. Eleemosynæ pauperibus relictæ à mortuis, quomodo dicantur? *Resp.* Mortua sacrificia. Attamen si in vita sua ejusmodi fuerit misericors, accepta sint etiam in mor-

te ejus beneficia coram Deo. (*Quest. 90.*)

XIII. Humilitas est, anima non observans, neque judicans aliorum lapsus, sed tantummodo sua curans, & æterna poena se dignam existimans... (*Ibid.*)

XIV. Licet ne principibus munera accipere; & ea in pauperes insumere? *Resp.* Si qui beneficiis affecti cum sint in re lauta, & sponte sua illa offerunt eis puta, qui bene meriti sunt, fortasse sine culpa accipiunt, si in pauperes ea distribuunt. Quæ autem ab agricolis, & manuariis opificibus accipiunt dona, qui ex laboribus quæstum faciunt, ignem, & supplicium sibi attrahunt; etiam si in mille ita distribuunt pietatis opera, sicut ait Scriptura: *Ignis devorabit domos eorum, qui munera accipiunt.* (*Quest. 116.*)



SENTENCIAS ESCOGIDAS.

DE SAN HILARIO

Correspondientes al Capítulo III. Artículo IV.

I. Perfecta scientia est, sic Deum scire, ut licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias. Credendus est, intelligendus est, adorandus est, & his officiis eloquendus est. (*Lib. 2. de Trinit.*)

II. Omnis infidelitas stultitia est: quia imperfecti sensus sui usa sapientia, dum omnia opinione infirmitatis suæ moderatur, putat effici non posse, quod non sapit. Causa enim infidelitatis, de sententia est infirmitatis, dum gestum esse quis non putat, quod geri non posse definiat. (*Lib. 3.*)

III. Non statim boni, atque utilis Sacerdotis est, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare: cum & innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit: & doctus sine doctrinæ sit autoritate, nisi innocens sit. (*Lib. 8.*)

IV. Immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinacia, & inflexo motu adversandi studium persistit, ubi non rationi voluntas subicitur, nec studium doctrinæ impenditur; sed iis, quæ volumus, rationem conquirimus, & iis, quæ studemus, doctrinam coaptamus. (*Lib. 10.*)

V. In simplicitate fides est. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere sollicitat. In absoluto nobis, ac facili est æternitas. (*Ibid.*)

VI. Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur: Lugentibus æternæ consolationis solaria repromittit; non orbitates, aut contumelias, aut damna moerentibus, sed pecca-